

Matrimonium. Viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas individuum vitae consuetudinem retinens.

SOCIETAS. Consociatio hominum ad eundem finem cognitum et volitum conjunctis viribus consequendum, qui finis est bonum omnium sociorum, seu *bonum commune*. Dividitur :

Societas	{	domestica	conjugalis
		civilis	paterna
		herilis	herilis
		religiosa	

Societas domestica quasi totum ex partibus, ex tribus simplicioribus societatibus coalescit : nimirum *conjugali*, quae in junctione viri et uxoris posita est et primum familiae praebet fundamentum ; *paterna* quae viget parentes inter et liberos, ex conjugio susceptos ; *herili*, quae exurgit ex domino et famulis, adscitis ad opera praestanda, parentibus et liberis necessaria. Harum trium collectio *familiam* offert plenam et perfectam.

Societas civilis. Hominum associatio, ut viribus unitis, sibi invicem opem ferentes, bona tum corporis tum animae facilius et perfectius consequantur, quae soli et extra societatem obtinere non queunt.

Auctoritas socialis. Potestas, seu facultas, seu jus gubernandi Rempublicam.

Potestas executiva. Facultas mandandi executioni leges latas in bonum societatis.

Potestas judiciaria. Facultas moralis seu jus applicandi leges ad aliqua particularia determinate.

Tyrannus generatim dicendus est qui gubernium convertit in bonum sibi proprium, nedum